



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 4. An, & quando, factô divortiô, alenda sit uxor etiam tunc quando &  
mariti culpa, & sua propria ab eo recessit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

buendum, ac perinde est, ac si in viri obsequio esset, *l. jure civil. ff. de cond. & demonst.* ubi conditio habetur pro impleta, quando deficit culpa ejus, cui implenda erat. Ita complures cum Bald, *l. 1. u. 9. C. de legat.* Barbol. *l. c. n. 43.* Bonac. *l. c. Sanch. l. 9. D. 4.* Cov. Tiraq. Surd. & aliis. Ad- dit Sanch. cum Bonac. virum non teneri uxorem alere, quamvis dotem habeat, quando uxor suâ culpâ recedit; quia uxor tenetur viro dotem tradere, & esse in ipsius obsequio; ergo si in alteru- tro deficiat, cessat ipsa alendi ob- ligatio, ut advertit Surd. *de alim. tit. 7. p. 16. n. 14.* Pariter non te- derur Maritus uxorem alere, si dos promissa sit, & non soluta, ut docet communis DD. cum Glos. *Auth. de non eligendo 2. nu- bentes, §. fin. verb. onera;* quia dos quasi in pretium datur, ut ex ejus fructibus maritus onera matrimo- nii sustineat, & uxorem alat, *l. pro oneribus cit. & l. dotis fructus cit.* intellige, si tempus ad solven- dam dotem à marito concessum jam advenerit, aliàs ob solutionis defectum alimenta negare non potest, sed sibi imputare debet, quòd eam dilationem concesserit. In super tunc uxorem alere tene- tur juxta communem DD. cum Inn. *C. per vestras de donat. inter vi- rum, & uxor. ad fin.* quando uxo- rem duxit absque dotis promissio- ne, quia sibi imputare debet, quòd nullam dotem postulaverit, vi-

deturque tunc ipsam uxoris perso- nam pro dote accipere.

Ad 4. Q. An alenda sit uxor, 472  
quando utriusque culpâ divor- tium factum est? Inspiciendum est, cujus sit ultima culpa, ob quam uxor non cohabitavit viro, juxta regulam *l. lud. 17. ff. de pe- ricul. & commod. rei venditæ, ubi æquum est posteriorem moram nocere.* Quamobrem si uxor culpâ suâ recesserat, dein poenitentiâ ducta ad virum rediens ab eo non admittatur, alenda est à marito; quia ultima culpa mari- to tunc imputanda est, non uxo- ri, quia poenitentia purgat deli- ctum, & perinde est, ac si con- jux sua culpa non recessisset, cum parata sit ad cohabitandum. Ita cum Glos. *C. significasti verb. ma- teriam in fin. de divort.* Sanch. *l. c. n. 24.* Bonac. *l. c. p. 7. n. 4. & 5.* Hofst. Abb. Jo. And. aliisque.

Contrà verò si ob sævitiam ma- riti uxor ab eo recessit, & ma- ritus cautionem de sufficiente se- curitate præstet, nec tanta sit ejus sævitia, quin ea cautione judicio prudentum satis cau- tum, consultum sit uxori, & ta- men hæc ad virum redire renuat, non tenetur maritus eam extra consortium suum habitantem ale- re; quia tunc ultima culpa uxo- ri nocet, juxta superius dicta. Bar- bos *l. c. n. 44.* Sanch. & aliis.

Ex

Ex dictis colliges, uxorem à viro recedentem ob nimiam castigationem, & verberationem, ab eo alendam esse; secus si castigatio sit moderata; quia in priori casu culpa mariti est; in posteriori verò culpa est uxoris; cum viro uxorem corrigere, & moderatè ex causa punire, permissum sit, *citt. l. rei judicatae &c.* talis namque inter illos Societas est, qualis inter patrem, & filium, non verò qualis est inter mancipium, & dominum.

## CASUS LXXXII.

*De reconciliatione Conjugum, factò divortio, deque restitutione dotis, & filiis alendis.*

**L**Eander maritus Leontiam uxorem suam de commissò adulterio convictam, factò divortio, è domo ejicit non amplius recipiendam, nulla eidem dote restituta, qui cum postea & ipse in adulterium incidisset, idque Leontiae innotuisset, cupit hæc, & petit Leandro marito reconciliari.

*QUÆR. I. An, si Leander post factum per sententiam Judicis divortium ob adulterium uxoris, & ipse adulterium postea committat, teneatur reconciliari uxori volenti, ac petenti, & ad eam redire adulterii causâ prius dimissam?*

*QUÆR. II. An Conjux innocens factò per sententiam Judicis divortio, & manente utriusque Statu immutato cogere possit adulterum invitum, ut sibi reconcilietur, teneaturque is reconciliari?*

*QUÆR. III. An ob adulterium tam occultum, quàm notorium liceat conjugii innocenti propria autoritate divortium facere, nullâ expectatâ Judicis sententiâ?*